

logis et *Eusebii ad Carpianum Epistola*, prout legitur in *Opp. Hieron.* edit. *Vallars.* T. X. col. 668. Sequuntur *Actus Apost. Epistolae Canonicae* ante *Paulinas*, et *Apocalypsis. I. Job. 5.* Testimonium terrestre coelesti praepositur. *Psalterium* ad finem Codicis dilatatum est *fol. 448.* quem claudit *fol. 471.* nota illa Vocabulorum hebr. et graec. Interpretatio.

XVIII.

R. 42 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 953. 4. per 2. etiam 3. Columnas in pellibus tenuissimis caractere aterrimo, minutissimo, nitidissimo, principiisque picturatis ita exaratus, ut infigne cum peritiae, tum assiduitatis humanae specimen haberi possit, continet universa *Biblia* cum *Postillis* non *Nic. Lirani*, sed, cujus nomen toto Codice non comparet, *Hugonis a S. Caro* (a natali Suburbio *Viennae Allobrogum Saint Chers*) ex O. P. ad Purpuram Rom. evocati, et a. 1262. vivis exemti, cui praeter vastum hoc Opus, quod in edit. *Laugd. 1645.* quae mihi adjacet, VII. Tomos f. conficit, Rudimenta faltem *Concordantiarum Biblicarum* debemus. Ad de eo T. I. *Scriptt. O. P. p. 194.* Initium porro Codici facit Autoris Praefatio, quae incipit: *Principium verborum tuorum ueritas &c.* Sequitur nota *Hieronimi ad Paulinum Epistola* cum suis *Postillis*, quarum initium: *Frater Ambrosius*

&c. Fidem i. certitudinem &c. tum *Prologus Hieronimi in Pentateuchum ad Desiderium*, cujus *Postillae: Desiderii. Post primum prooemium ponit ieronimus &c.* Demum *Postillae Geneseos* sic ineunt: *In principio &c. Agit Moyses in primo libro de primordiali &c.* Atque ita libri ordine consueto procedunt usque ad *fol. 222.* ubi interferitur *Liber III.* et dicitur *II. Esdrae*, quia praecedens *Neemiae* inscribitur. Hic porro *Liber* caret *Postillis*, etiam *Hugoni* habitus apocryphus. Testamentum novum, quod orditur *fol. 669.* *Actus Apost.* inter *Epistolas Paulinas* et *Canonicas* ponit. Praefatio *Hugonis* in illud incipit: *Quatuor circulos aureos pones super quatuor arche angulos &c.* Igitur diversa est ab ea, quam exhibet Editio *suprac.* Et in univsum magna est Praefationum in *Cod.* et *Edit.* differentia, quemadmodum me collatio initiorum in *Scriptt. O. P. T. cit. p. 198.* docuit. Ipsae etiam *Glossae* in illo jam concisiores, jam fusiores sunt, quam in hac, ut adeo plures successu temporis Operi huic ampliando vel contrahendo, ut fit, manum adhibuisse videantur. Atque advertit me *Nota Librarii nostri* ad *fol. 712. p. 2.* sive Initium *Evangelii Marci: In postillis magistri Stephani de langetona* (*Linguatona, Langthon, Longoduni*) qui cum ipse hunc librum legeret *parisius*, fuit quidam in *scolis* uir maximi nominis nomine *iobannes belet* qui *asserebat se uidisse cathedram marci super quam scripsit hoc euangelium.*

lium. Fuit *Stephanus* iste *Cantuariensis* Episcopus mortuus anno 1228. commentatus in plurimos Libros Veteris praecipue Testamenti, ut habes apud *Caveum* et *Oudinum*, unde posterum quis facile spicas ejus *Hugonianaë* messi miscere potuit, ut pluribus Glosfarum corporibus accidit. Codicem nostrum terminat nota illa *Interpretatio hebraicorum nominum*.

XIX.

- C. 938 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 717. 4. min. per duas columnas minutius, sed nitidissime exaratus, coloribusque distinctus, olim, ut ad calcem notatur, *ecclesie sancti monasterij sancti michaelis in antuerpia*, quod est Collegium *Praemonstratensium* ab ipso S. *Norberto* fundatum, dein nobilis *Parthenonis*, qui *Halae ad Oenum* floruit, continet sacra *Biblia V. et N. T.* cum solitis *Hieronymi* Praefationibus, et Librorum Argumentis. L. II. *Paralip. fol. 242. p. 2.* adscripta est absque titulo, aut intervallo *Oratio Manassis*, huicque per errorem minio subjectum: *Explicit nehemiae*. Rursus ad calcem *Libri Nehemiae* five II. *Esdrae* notatum *fol. 255. p. 2. Explicit primus liber esdre. Incipit liber secundus esdre*, qui tamen est *Tertius* ille apocryphus. *Psalmi fol. 297. p. 2.* audiunt *Liber hymnorum uel soliloquiorum. Machabaeis* praefixi sunt Prologi *Rabani* ad *Ludovicum R.* et *Geroldum Archidiaconum. Fol. 658. I. Job. c. 5.*

ad testimonium terrestre omittitur 10: *Et hi tres unum sunt*. In fine accedunt notae *Interpretationes hebraicorum nominum*.

XX.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 1108 XIV. Folior. 370. 4. min. perquam nitide, sed lyncibus scriptus columnis duabus, distinctus coloribus, et quondam, ut praefert, *S. Vdalrici Augustae*, quod O. S. B. Coenobium est, comprehendit *Sacra Biblia* Versionis vulgatae, sine *Psalterio*, nec adfunt ubique Praefationes *Hieronymi*, ea, quae in *Jobum* est, ad calcem hujus Libri scripta. Cetera rite procedunt. Nullus *Liber III. Esdrae*, nulla *ad Laodicenses Epistola*. Testimonium duplex I. *Job. c. 5. a* prima manu exactum est. Accedit solita Interpretatio Vocum hebr. et graec. et currente calamo adjectus Index Epistolar. et Evangelior. per annum, sive *Lictionarium*.

XXI.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 3146 XIV. Folior. 510. 4. min. per duas columnas minutissime, sed nitide perscriptus, coloribus distinctus, et initiis omnium Librorum adfabre picturatus *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis, ordine consueto, Prologis *Hieronymianis* et solitis Argumentis instructa continet, excepto *Psalterio*. Adest *Esdrae Liber III.* sed in margine rubrica *Apocriphus* con-